



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

De Matrimoniis clandestinis. 22

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

XVII. *Quod Decani, & Plebani
locorum, examinent ornamenta
Ecclesie.*

Decani item & Plebani, examinent libros & ornamenta, necessaria ad Divinum cultum in Ecclesiis sibi subjectis; & ubi necesse fuerit, per conservatores dictæ Ecclesiæ & Parochianos, intra mensē post admonitionem eorundem, suppleri faciant; in rebelles Excommunicationis sententiam promulgando.

XVIII. *Quod fructus Canonico-
rum suspensorum cedant Capitulis, non
singularibus de Capitulo personis.*

Statuimus item, ut fructus Canonico-
rum suspensorum, durante suspensione eorundem, cedant Capitulis ad communes usus Ecclesiarum suarum; prout in Ecclesia Nostra Coloniensi observatur; cui expedit in hoc casu ceteras Nostræ Diocesis & Provinciæ Ecclesias conformari: ne ipsi Canonici, sic suspensi, eisdem fructus per aliquas alias personas singulares, vendicantes sibi ex aliqua consuetudine, immo potius corruptela, ipsos competere, recuperent, & per consequens, ad frequentationem Chori per suspensiones huiusmodi nequeant coarctari: si tamen constet, ipsas personas singulares, per dictorum fructuum restitutionem, dare Canonici suspensionis occasionem huiusmodi non curandi.

XIX. *Quod Ecclesia vel cæmeterium
non consecrentur, nisi de dotatione
loci Diocesano constiterit.*

Inhibemus item, ne aliqua Ecclesia vel Cæmeterium, nisi dotata, (de qua dotatione ante omnia Nobis, seu loci Diocesano fidem fieri volumus,) amodò consecrentur.

XX. *Quod Parochiani non nisi à suo
Plebano communionem recipiant.*

Statuimus item, ut nullus Parochianus ab Satio, quam à suo vero Plebano, communionem recipiat, nisi de hoc privilegio authenticis sit munitus. Contrarium facientes, à perceptione Corporis Christi abstineant, quousque ipsi Plebano satisfecerint de contemptu.

XXI. *Quod non fiant imprecationes,
nec cantetur Media Vita, contra ali-
quas personas.*

Prohibemus item, ne, in aliqua Ecclesia-
rum, Nobis subjectarum, imprecationes

fiant, nec decantetur Media Vita, contra aliquas personas, nisi de Nostra licentia speciali; cum Nostra interfit, discutere, quando sint talia facienda.

XXII. *De Matrimoniis clandestinis.*

Prohibemus item, ne quis Matrimoniis clandestinis interfit, & quod proclamationes fiant ubique de Matrimoniis contrahendis. Et, si qui contrarium fecerint, & in Excommunicationis sententias inciderint; absolutiones talium, Nobis seu Nostris Officiali specialiter reservamus.

XXIII. *Quod annus Domini de cæ-
tero in Nativitate Domini observetur
& innovetur.*

Statuimus etiam, ut ex nunc de cætero annus Domini observetur, & in Nativitate Christi innovetur quolibet anno; prout sacrosancta Romana Ecclesia id observat, quæ est omnium Ecclesiarum caput & magistra: ut errores & difficultates (qui propter diversitatem inceptionis anni Nativitatis ejusdem multoties evenerunt) de cætero evitentur.

Romane
Ecclesia
laur.

XXIV. *De tabellionibus.*

Statuimus item, ut tabelliones seu Notarii publici, quoties alicui appellationi, protestationi, aut provocationi, aliæ actui in publico faciendo interfuerint, provideant sibi, ut Officiali Nostris, seu judici, aut aliis, coram quibus appellant, dent sub eodem contextu copiam appellationis sub expensis appellantis: quas appellantis seu provocantis & protestantis aliqua fieri volumus, ut iudex, an deferat appellationi necne, deliberare valeat, ne ipsis iudicibus, qui limitatum terminum super hoc à Iure habent, currat tempus.

Item, cum Officium tabellionatus sit publicum, præcipimus, ut quilibet tabellio, instrumenti confecti per ipsum, intra sex dies, postquam ex parte illius, cuius interest, fuerit requisitus, sub expensis partis hoc requirentis, quas per taxationem Curie Nostræ & Diocesani cujuslibet taxari volumus, copiam sub sigillo suo det & assignet. In quibus duobus articulis si tabelliones negligentes fuerint, & de hoc constiterit per rei evidentiam aut alio modo, ac ipsi appellantes seu protestantes huiusmodi facere contempserint, ex tunc Excommunicationis sententiam incidant, cuius relaxationem Nobis specialiter reservamus.

XXV. *De Sacramentis.*

Item statutum piæ memoriæ Sifridi Coloniensis Archiepiscopi, prædecessoris Nostris, de